

Antoine d'Albon, sur son Ausone; à Etienne de la Barge, comte de Lyon, sur les commencements de notre église. Voici, en quels termes, Paradin rappelle nos premiers martyrs :

Jam tum seminecem pugnīs, pedibusque subactum,
 Et cœno te, dive senex, saxisque ruentem
 Carcere turba mori in nervo vinclisque coegit.
 Quot porro dignas post tot certamina lauros
 Fœminei columen cœtus, Blandina, reportas?
 Post scuticas humeris, lacero post verbera tergo,
 Postque graves laterum quos exterit ungula sulcos;
 Carnificum vibrata manu post flagra, crucesque,
 Inde legens matris vestigia Ponticus infans
 Exsugens cum lacte fidem, Christumque profari
 Ante animo quam voce potens, sacra impia ridet.
 Nil pœnis, duroque necis terrore subactus,
 Sed neque cum gravibus lethum cruciatibus horrens,
 Intrepidus diras subiit cervice secures,
 Victus idem et victor, specimen certaminis ingens
 Attalus in media circi productus arena
 Edit, et immanem calcans Styga, conficit Orcum.
 Non tulit innocuæ tandem tot funera plebis
 Nobilis et legum consultus Epagathus, ultro
 Patronumque suis Rhetor se civibus offert.
 Judicis at duri clausas et legibus aures
 Offendens, cervice luit, comitesque periclis
 Eripere aggressus mundi, sese invehit astris, etc.

Je ne citerai plus qu'une pièce sur les armes symboliques des plus célèbres imprimeurs, adressée à Antoine Gryphius et à Jean de Tournes :

Obruerant tristes jam prorsum oblivia musas,
 Nec cœtus vitæ spes erat ulla sacri;
 Anchora cum jacta est mediis Aldina procellis,
 Cyrrhœumque labans pondere sistit onus.
 Sustulit hinc dextra geminos Frobenius Angues,
 Qui recti et prudens simplicitatis amor.
 Virtutem inde levi Sortis comitante volatu,
 Semifer annexam Gryphus ad alta vehit.